DE

VOLVNTATE MEDICI
[M]EDICAMENTO INSANIAE
HYPOTHESIS

QVAM

[A]MPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

[PR]O OBTINENDO MAGISTERII LIPSIENSIS IVRE OPTIMO

D. XXV. OCTOBR. A. CIↃIↃCCCXVII

[I]LLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV
IN AVDITORIO IVRIDICO

DISPVTANDAM PROPOSVIT

[I]OANN. CHRIST. AVG. HEINROTH

LIPSIENSIS

MED. ET PHIL. DOCT. LL. ARTT. MAG.
THERAPIAE PSYCHICAE PROF. PVBL. EXTR.
MEDICVS AD AEDES DIVI GEORGII, CET.

ASSVMTO SOCIO

CAROLO CHRISTIANO ANTON

GORLICENSI

MED. BACCALAVREO.

LIPSIAE,

IMPRESSIT FRID. CHRIST. GVIL. VOGEL.

LECTORI AEQVO.

En, hypothesin, ac talem quidem, quae multis inanis, aliis absona atque inepta videbitur. Sed ex hypothesi pars nova orbis terrarum detecta est, et lex gravitatis inventa; inepta autem fere ab initio videntur quaevis inusitata, licet nec nova neque inaudita, utpote consuetis adversantia. Sed non omnia hominibus detecta esse, quae detegi possint, mihi, una cum aliis, persuasum est. Ceterum nonnulla singulari modo inventa. Silex astronomiam auxit, succinum ad coeli flammam nos duxit compescendam, rana in metallis fulgur latere docuit. Periclitandum est, experiendum, observandum. Audentes fortuna juvat. Experientiae tamen et observationis

tramitem me non reliquisse, libello perlecto, candidus lector inveniet. Poterit aliquis me ob fidem nimiam meam historicam reprehendere. Contraria probanti cedam. At gravioris vitii egomet ipse me incuso: calamo me nimis fugitivo scripsisse hunc libellum, atque in pertractandis singulis capitibus capitumque particulis minus diligentem fuisse. Sed quo tempore hoc scribebam, exhaustae propemodum aliis laboribus animi vires ἀκρίβειαν respuebant. Intererat tamen, mentem meam super hac re, de qua tractavi, exposuisse, quia videbatur mihi temporibus consentanea esse ista expositio. Atque haec habui ad excusandum hoc opusculum. Sic vale, lector, et fave, si videbitur, rei.

CAPVT PRIMVM.

DE VOLVNTATIS NATVRA.

§. 1.

Voluntatis naturam vulgo ignorari.

Quum omnis hominis scientia a discendo incipiat, viresque ei insitae non nisi experimento innotescant: quid imaginandi vis valeat in homine, quid cogitandi, permulti experti sunt: quid volendi, perpauci; quamquam sine voluntate nihil agitur. Inscii paene voluntatis vi utimur, neque ejus naturam recte adhuc videmur cum perscrutati esse, tum in usum vocasse. Attamen sine voluntate nec brachia moventur, nec pedes sano homini. Volentes cogitamus, ratiocinamur, loquimur, agimus omnia. Voluntas animae humanae vis primaria est. Nihil sumus non volentes. Volendi vi destituti, aut coeci trahimur rapimurque quaquaversum, sive periculum immineat, sive voluptatis urgeat stimulus, aut immoti atque torpidi haeremus quantumvis excitati. Sed videtur eo minus voluntatis natura et vis cum investigata esse, tum exculta, quo profundius ex intimo naturae nostrae penu hauritur, effectibus tantum suis conspicua. Quare in

facultatibus occultis apud plerosque est, pessime iis neglecta, utpote qui voluntate utantur tanquam vecte, ad onera sublevanda tantum idoneo. Atque hi quidem voluptatis desiderio aut doloris metu, a certis rebus per sensus in mentem delatis, aut mente ipsa excogitatis, afficiuntur, deinde per hos ipsos affectus instigantur ad ciendam voluntatem, actionum motricem. Quo facto agitur. Atque haec quidem servilis voluntas est, ut patet ex re in facto posita: in servitute enim voluntas affectuum est. Degenerem vero atque a dignitate sua delapsam hanc voluntatem esse, ex eo elucet, quod ea, experientia teste, sensum animo ingratum coacta infert: testimonio certo, voluntatem genuinam cogi non debere. Quod si ita est, sequitur, genuinam voluntatem liberam esse, libertatemque hominis testari. Ex quo voluntatis dignitas cernitur. Sed haec uberius exponenda sunt.

§. 2.

Definitio voluntatis.

Vim efficaciae, sibi consciam, voluntatem nos quidem dicimus. Neque enim sine efficacia, neque sine conscientia voluntas cogitari potest. Conscientia enim, sive in sensu versetur, sive in cogitatione, sive in utroque simul, ubi efficaciae vi destituta est, voluntate caret. Efficaciae autem vis, ubi offenditur sine conscientia, coecus naturae impetus est, qualem in rebus naturalibus cunctis observamus, conscientiae expertis: ut in aquae aut ignis vi, aut in lapidum metallorumque pondere, aut in corporum organicorum generatione et incremento. Atque his quidem omni-

bus, ut efficaciae vis negari nequit, ita voluntas non tribui; quippe quod conscientia destitutas has res omnes necessario arbitramur. Igitur non nisi juncta utraque parte voluntas adest. Quum enim voluntas ponatur partim in efficaciae vi, partim in conscientia: sequitur, utramque jungendam esse, ita, ut voluntas efficaciae vis sibi conscia sit.

§. 3.

De natura voluntatis universe.

Ad actiones vitae humanae omnino omnes voluntas pertinet: voluntaria enim sunt, quaecunque cum conscientia aguntur; nihil autem sine conscientia agitur. Quare ciborum digestio, nutritio, et similia, ad actiones revocanda non sunt. Sed bene distinguitur inter actiones arbitrarias et coactas. Non enim qualiacunque ex arbitrio volumus. Arbitrium iis tantummodo actionibus inest, quae mente atque consilio dataque opera perficiuntur. Ad haec enim primum deliberatio adhibetur, deinde, sive ex cognitione sive ex opinione boni commodique, optio instituitur, ex qua, si voluntas cietur, sequitur arbitraria actio, quae, quia penes nos arbitrium est, libera quoque dicitur. Sed coacta actio est, simulatque non deliberate agitur, sed solo incitamentorum externorum per sensus impulsu. Ut saepenumero fit, eoque frequentius, quo majorem vim sensus in homine habent, mente minus robusta et habili praedito. Utcunque vero actiones cieantur, certum est, neque per mentem atque arbitrium agi, neque per sensus atque incitamenta externa, sed per solam voluntatem, in qua proxime vis

A 2

agendi inest, eaque proliciencla quidem, non tamen procreanda per ullius generis stimulos. Et commode quidem comparari voluntatem musculis motoribus licet, qui nervis quidem ad motum stimulantur, moventur vero insita vi, quae ubi torpet et hebes est, motus aut nullus aut exiguus sequitur. Quare singulari attentione digna est voluntatis natura.

§. 4.

Accuratior voluntatis perscrutatio.

Sunt, qui voluntatem sine actione statuant; sed hi voluntatis umbram tantum atque imaginem pro voluntate habent, quae actionum omnium anima est. Quod inde clarum est, quia sine voluntate non agitur; neque actio aliud quid, nisi voluntatis externa expressio est. Quare mirifica vis et plane singularis in voluntate est: creatricem puta. Nam si non haberet creatricem hanc vim voluntas, ne voluntas quidem esset. Actionum autem incipiendarum vis neque in sensibus inest, neque in mente: sensus enim percipere tantum, mentem cogitare, conscii sumus. Volendo autem neque sentimus tantummodo, neque cogitamus, sed aliud quid agimus, cujus conscii quoque sumus: nempe vim haurimus agendi e fonte vitae aliquo, qui sensum quidem aeque fugit, atque intellectum, sed qui naturam suam per voluntatem ipsam prodit, quae vis est actiones incipiendi non solum, sed etiam perficiendi: instrumenta enim motus tantummodo ministri voluntatis sunt, qui voluntate silente dormiunt. Igitur voluntas principium movens in homine est; quod salva ratione dictum velimus,

de qua infra plura. Sed voluntatem cieri modo sensibus, modo mente, diximus. Posset igitur contra moneri: latere principium movens in sensibus atque in mente. Quod videtur quotidianae vitae experientia testari. Plerique enim omnes ciemur ad agendum, ergo ad volendum quoque, aut per sensus, temere atque inconsiderate, aut per cogitationem atque arbitrium. Quod ut negari nequit, pariter concedendum est, plerosque experiri voluntatem non pure atque absolute, tanquam vim hominis primariam eandemque creatricem ac vere divinam, qualem modo eam statuimus. Si qui autem sint hanc voluntatis naturam experti, horum conscientia experientia illorum non tollitur, sed eo res redit, ut sint alii, quibus voluntas tanquam ministra sensuum mentisve sit, alii, in quibus voluntas, quamvis inserviat reliquis animae viribus, ex iis tamen non pendeat, sed vis per se sit, libertate sua insignis. Sed alia aliunde oritur objectio. Si enim proximus atque unicus adeo fons actionum hominis omnino omnium voluntas est: qui fit, ut sensibus atque arbitrio subjecta sit, ut igitur modo coacta voluntas, modo arbitraria appareat? Cui ita respondemus. Divina voluntatis vis ad usum homini data est, sive sensibus se subjici homo patiatur, sive arbitrium ad libertatem nanciscendam exerceat. Voluntas in utraque caussa in promtu est, illaesa insito sibi numine, sive recte eo, sive male homo utatur. Voluntas ergo vel ante cogitationem adesse debet, quia non cogitamus nolentes sed volentes, Nihil igitur impedit, quo minus voluntas primaria vis in homine sit. Sed aliter in vita hominum consueta institutum est. Antequam voluntas in dignitatem suam

primariumque locum evecta sit, cupiditatibus trahimur, atque ad eas explendas, potiundis variis vitae commoditatibus, mentem omnem atque intellectum in censum usumque vocamus, ita ut in iis, qui paullo vegetiores sint, intellectus primum virium humanarum locum obtineat, utque sic naturalis ordo turbetur. Sed quid inde nascatur, facile intellectu est. Multo plura comprehenduntur mente, quam re perficiuntur, consiliaque hominum viribus ad iis satisfaciendum multo ampliora sunt. Unde plurimorum vita mutila est et exigui ad agendum et perficiendum ponderis. Contra, qui voluntatem, quasi inscii, mature tanquam primariam vim vitaeque motricem coluerunt, ii fortiores sunt rerumque suarum rectores. Cuius rei illustre exemplum in Napoleone vidimus, viro ad psychologiam valde memorabili, qui a prima juventute efficaciae vim fortem in sese et sensit et excoluit. Ex quo omnia ei, quamdiu fiducia certa vis illa nutriebatur, egregie successerunt. (V. libellum inscriptum: Manuscrit venu de St. Hélène etc., qui libellus, sive ab ipso, de quo sermo est, viro, sive alio auctore scriptus sit, rem tamen acu tetigit.) En, loca, quae huc spectant. Primum eos, qui mirabile quiddam jam in prima juventute in eo quaesiverint, verbis refutat his: (p. 6.) „Je n'étais qu'un enfant obstiné et curieux.“ Atque hic quidem, cum obstinationem primo loco ponit, nihil aliud ea, nisi vim voluntatis eminentem significat, quippe in qua sola potest obstinationis fons esse, e quo deinde vitae ejus actiones manarunt. Statim etiam id, de quo loquimur confirmat verbis: „Je réussissais dans ce que j'entreprenais parceque je le voulais: mes volontés étaient fortes, et mon caractère

décidé. Je n'hésitais jamais; ce qui m'a donné de l'avantage sur tout le monde.“ Atque his quidem significatur animi fortis ac strenui natura, quae sola voluntate nititur, tanquam vi effectrice et creatrice, impedimenta externa viresque adversariorum exiguas, quippe voluntate forti destitutas, facile superante. Aliud porro emolumentum ex illo voluntatis vigore derivandum est, quod naturali indoli expandendae impedimenta nulla objiciuntur: „Mes facultés intellectuelles prenaient cependant leur essor, sans que je m'en mêlasse.“ Ut folia et flores et fructus ex arboribus naturali modo prodeunt: sic intellectus cum reliquis mentis dotibus ex hominum indole; idque eo tutius ac perfectius, quo minus vis interna externis turbis retinetur confunditurque. In quo obstinationis illius seu potius voluntatis vis, aliena omnia, inque servitium hominem trahentia, repellens, mirum quantum videtur juvisse Napoleonem. Sed quantum efficaciae vis pendeat a fiducia certa, de qua infra locuturi sumus, quantumque, hac vacillante, omnia corruant, idem ille auctor nobis luculentissime demonstrat: (p. 54.) „Cependant je n'ai plus senti en moi, depuis l'affaire de Jéna, la plénitude de confiance, ni le mépris de l'avenir, auxquels j'avois dû mes premiers succès. Je me défiais de moi-même: cette défiance portait de l'incertitude dans mes décisions; mon humeur en était altérée; mon caractère abatardi. Je me commandais, mais ce qui n'est pas naturel, n'est jamais parfait.“ Plurimum haec ipsa verba ad sententiam nostram et illustrandam et confirmandam faciunt. Ac primum quidem videtur Gallorum quondam imperator successu illius temporis praeter spem

atque opinionem rapide prospero quasi perterritus fuisse, quantumque fortuna secunda interdum vires humanas superet, intellexisse. Quo gravioris autem momenti casum fortuitum esse homo intelligit, eo magis propriis viribus diffidendum esse animadvertit. Hinc fiduciam illi ipsa fortuna nimis prospera fractam fuisse verosimillimum est. Quae enim alia caussa jacturae illius subesse potuerit, me quidem fugit. Ergo ex illo tempore voluntatis quoque efficacia diminuta est, omnisque vitae securitas et aequabilitas turbata. Et hoc quidem unius hominis, voluntate pollentis, exemplum instar omnium sufficiat, qui pari indole parique fortuna excelluere.

Jam vero redeundum nobis est ad id, unde ad comprobandam sententiam nostram de voluntatis vi ac dignitate digressi sumus. Igitur principem vim in homine et quasi fundamentum vitae voluntatem statuimus eamque absolutam atque ex se sola pendentem. Atque ea quidem est quasi in nummorum ratione, quibus opus est, antequam consilium de domo exstruenda, deque fundo emendo capias. Et ut Horatius:

„O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,"

sic nos: quaerenda voluntas primum est, acclamamus omnibus, ad qualecunque demum perficiendum vitae negotium Haec vero non ideo dicimus, quasi negligendus sit cultus mentis animique, aut reliquarum omnino omnium facultatum humanarum; sed id tantum nolumus: earum cultu cultum voluntatis negligi; quod a plerisque, et magno quidem eorum incommodo. fieri dolemus. Sed caussa in promtu est. Educantur homines ab ejusmodi magistris, quibus con-

servatio vitae summa lex est, ad disciplinam variam atque ad perfungenda vitae munera, quo vitae praesidium habeant ac sustentationem. Sed in his omnibus voluntas instrumenti ad instar est, sponte a natura ad agendum dati. Nullus hic colendae voluntatis ipsius finis, nullum hujus augendae consilium subest. Memoria, intellectus, pietatis sensus de industria coluntur; voluntas non item, quae tanquam silvestris planta modo sponte luxuriatur, modo, cultioribus plantis suppressa, aut humi repit, aut prorsus deperit; ut in multis videmus voluntate non valentibus. Quae quidem virium impar ratio vitam imparem ac sibimet ipsi non constantem parit. Non hoc ita natura homini institutum est, in quo, quae insunt vires, cunctae cultum de industria exigunt. Ex quo aequabili cultu quae commoda in vitam hominum redundent, experientia sola, licet raro adhibita, comprobat.

§. 5.

De natura voluntatis, quantum ad reliquas animae vires.

Quaecunque conscientia nostra continentur phaenomena, psychica dicuntur, eaque ipsa vis, quae in conscientia efficax est, ψυχη vocatur sive anima. Non uno autem modo anima nostra in conscientia affectam se sentit et percipit. Aliter enim nos affectos percipimus cogitando, aliter sentiendo, aliter denique volendo; atque hac triplici ratione natura psychica nostra absolvitur. Cogitandi autem facultatem mentem dicimus, sentiendi animum, volendi denique voluntatem. Cogitamus rerum et notionum formas et rationes, sentimus appetitiones et aversationes, vo-

lumus actiones aut in nosmet ipsos, aut in res extra nos positas. Sed haec omnia non dispersim fiunt atque disjunctim, sed et mens et animus et voluntas vicissim excitantur, et nexae inter se, ad communem finem, nempe ad conservationem, valetudinem, beatitatem nostrorum ipsorum agunt, ita, ut animus beatitatem cupiat viresque reliquas ad inquirendam eam instiget, mens, intellectus et sensuum ope, res vel expetendas vel fugiendas disquirat atque dijudicet, voluntas denique ad actiones huc facientes in promtu sit atque evigilet. Hinc fit, ut voluntas, licet prima proximaque actionum motrix sit, sine reliquis ne cogitari quidem, ne dum agere possit. Quidquid enim velimus, cogitatur id, quod volumus; quidquid cogitetur, non cogitatur sine sensu sive jucundo sive molesto; ut fieri plane nequeat, quin voluntas sine reliquis animae viribus agat, sed cum his arctissimo vinculo copulata sit. In qua re par ratio est virium animae cum viribus corporis nostri organicis: vasorum dico, et nervorum, et musculorum, quarum nulla sine reliquis constare potest, licet unaquaevis sui generis sit et per se agat, suis legibus obstricta. Proinde, ut musculi per se agunt, iidemque a nervis excitati atque nutriti a vasis: sic voluntas per se quidem agit, sed excitata a mente atque nutrita ab animi sensibus. Atque haec quidem ea est, quae inter voluntatem reliquasque animae vires intercedit, necessitudo.

§. 6.

Quatenus ratio, ut ad hominem omnino, ita ad voluntatem sigillatim pertineat.

Ratio a plerisque omnibus psychologiae studiosis

ad vires animae tanquam vis peculiaris refertur, ita tamen, ut princeps earum sit atque regina et domina omnium. Sed nostra sententia ratio non tam singularis animae vis est, quam conscientiae humanae propria forma summaque lex atque conditio, ita ut sine ratione conscii nostrum non simus, utque idem sit, conscium sibi esse, et ratione praeditum. Qua quidem sive conscientiae sive rationis dote a natura donati, homines sumus, eo super reliqua animalia eminentes. Adsciscitur autem per conscientiam sive rationem, elementum, in quo homini pariter vivitur, atque in aqua piscibus, volucribus in aëre; proinde ut conscientia auram quasi vitalem admoveat, quam quovis vitae humanae momento quasi respirando hauriamus. Est enim profecto simillima conditio conscientiae sive rationis cum respirationis conditione, ita, ut, quemadmodum auram vitalem haurimus respirationis organo, pariter etiam vitae internae quasi auram et spiritum aliquem purum (aequi et justi, recti- que et veri sensum dicimus) hauriamus organo eo, quod in ratione sive conscientia est. Ut autem respiratione vita universa corporis restauratur ac purificatur: sic rationis officio interna animae vita, quae sine ratione nulla est. Quare ratio ad universam animam, non ad peculiarem tantummodo animae aliquam vim, v. c. mentem, pertinet. Quicunque enim ratione imbutus est, animo, mente, voluntate, purus et castus debet esse. Ex quo elucet, quo pacto ad voluntatem quoque ratio pertineat. Pari enim modo debet voluntas divino numine, quo ratio perflatur, impraegnata quasi esse, atque reliqua omnis animae efficacia. Atque sic rationis notio intelligi, nostra quidem senten-

tia, debet. Quae res comprobatur propria uniuscujusvis experientia.

CAPVT SECVNDVM.

DE CVLTV VOLVNTATIS.

§. 7.

Voluntas pariter atque reliquae vires animae colenda.

Ratio ipsa, quae, accuratius perspecta, sola in aequitate est, cujus lex, ut neminem fugit, conscientia recti exprimitur, unamquamque animae vim aequaliter excolere jubet, neque unam reliquis aut praeferre, aut posthabere. Quam legem nunquam recte observatam fuisse, jure dolendum est. De qua re prius dictum est. Igitur sua voluntati etiam disciplina sit, eaque, propter singularem voluntatis naturam, a disciplina reliquarum animae virium diversa. Quemadmodum enim animus ad sensuum puritatem debet excoli, sine qua rationi repugnat, mens autem ad sapientiam, quae nulla alia est, nisi ipsa ratio cogitationibus expressa: sic voluntas ad vim atque efficaciam conformari debet exsequendis vitae muniis aptam; quod fit, cum voluntas ad unamquamque actionem, a ratione praescriptam, non solum praesto est, sed etiam vi pollens. Quo facto cum ratione ipsa voluntas congruit. Contra rationem autem est: non id posse exsequi ac perficere, quod ea magistra jubetur.

§. 8.

Voluntatem a servitio alieno liberandam esse, et quo pacto liberanda sit, ostenditur.

Ac primum quidem rationi repugnat voluntatem in servitio esse. Quemadmodum enim brachia vinculis ligata moveri non possunt: ita ne voluntas quidem, ubi aliarum virium imperio tenetur. Voluntatis autem servitium in φιλαυτίᾳ est. Haec enim, partim cupiditate, partim timore, animum humanum imbuit, humique ut repat, utque excelsis quibuscunque cogitationibus, sensibus, actionibus impar sit, efficit. Itaque φιλαυτίᾳ universa vita hominum corrumpitur. Quare sedulo curandum est, ut voluntas ab isto servitio liberetur. Cujus rei triplex ratio est.

Ac prima quidem *moderatio* est, jam a veteribus ad vitam omnem maximopere commendata. Versatur autem in eo moderatio, ut in quacunque caussa non a stimulis alienis atque incitamentis ex temet ipso rapiare, ita ut tui amplius non compos sis, sed ut limites actionum pro lubitu, seu potius ex rationis lege ponas, imperiumque tui serves. Sunt autem quotidie atque in omni vita multa, quae suis sive illecebris, sive necessitatibus e castris te provocent deque statu te dejicere conentur. Sunt oblectamenta vitae atque cupiditates, sunt quotidianae vitae desideria, sunt futurarum rerum curae et anxietates, sunt ira, invidia, metus, terror, sunt denique divitiarum atque honorum, gloriae ac potentiae, doctrinae adeo ambitiones. Quae cuncta forti voluntate moderanda sunt atque ita coercenda, ut ne tu his ipsis subjiciare, sed ut haec omnia tibi subjiciantur. Quod pedetentim fit et parvis principiis: sed

„Dimidium facti, qui coepit, habet. Sapere aude!"

Primum his omnibus, si vires vacillent, aliquo modo resistendum est, deinde, auctis exercitatione viribus, pro virili parte. Quo facto post aliquod tempus eo pervenies, ut moderatione sola, res tibi, non te submittas rebus.

Altera via, et quasi secundus ad libertatem voluntatis gradus *abstinentia* est; quam, nisi moderatione praegressa, vix prospero successu ingrediere. Sed primo illo tibi imperio vindicato, facili opera proxime ab exiguis rebus abstinebis, ejus solius studii gratia, ut temet ipsum solus possideas, deinde etiam a gravioribus, quae ne moderatione quidem vinci possunt tibique innocua reddi. Sunt enim alia, quae cohiberi tantummodo debent, alia, quae prorsus non admitti. Atque in his vitia omnis generis sunt atque opprobria, humanam dignitatem omnem exstinguentia: ut voracitas, vinolentia, proclivitas in venerem, avaritia, prodigentia, iracundia, malitia, perfidia. Quae cuncta repellenda sunt non moderatione, sed abstinentia. In abstinentia vero cautio adhibenda est, ne in eas res cadat, quas et per se licet persequi, quaeque ad vitam servandam et sustentandam necessariae sunt, nisi officia in promtu sint vitae ipsius neglectum praecipientia. Sed inciderunt in hoc vitium, qui ascetae vocantur, quique negligentes sine necessitate etiam quae necessaria sunt, vita decurtata poenas dederunt graves meritasque. Non enim enecandae vires, sed excitandae sunt; cruciatibus autem temere admissis non hebetantur modo vires, sed exstinguuntur. Quod contra et naturam, et rationem, et veritatem fit, utpote quae

cunctae inter se congruant atque ejusdem generis sint.

Tertia denique via et ratio disciplinae voluntatis ad libertatem *exercitatio spontanea* est. Atque hac quidem mirum quantum vis voluntatis, ut omnis omnino vis, augetur. Quemadmodum enim magnetis efficacia crescit, dum exercetur in dies magis atque adsuescit tollendis ponderibus: ita etiam voluntatis efficacia. Est autem ita instituenda voluntatis spontanea exercitatio, ut, vel occasione extrinsecus non data, solius exercitationis caussa ad agendum te impellas, atque id eo magis, quo certior tibi animadvertitur proclivitas ad segnitiem, quae exercitatione voluntatis sola atque vigilantiá exstinguitur, cujusque ope efficacia voluntatis, vel deleta, sensim quasi refocillari atque ad vitam revocari potest. Nihil autem segnitie voluntati perniciosius est. Quare id sedulo agendum, ut etiam in hac caussa per gradus progrediamur, quoniam omne initium difficile est. Sed sensim consuetudine agendi actuosi reddimur, crescitque agendo indies agendi vis, ita ut tandem in alteram naturam transeat.

§. 9.

De voluntate insititia.

Atque haec quidam voluntatis naturalis ad libertatem redigendae disciplina est. Naturalem autem voluntatem eam dicimus, quae, quamvis exculta sit atque exercitatione roborata, tamen naturae nostrae angustis limitibus premitur. Rationis enim nobis insita lex perversitate naturali appetituum ita obscuratur quasi atque offunditur, ut aequitatem repudiemus, iniqui-

tatem autem omnem et adamemus et persequamur. Quod quidem testatur communis omnium experientia. Quare si quis voluntatem vel maximo opere et coercuerit et exercuerit, libertatem tamen perfectam nunquam assequetur propterea, quod nunquam non appetitus aversatur rationem, obsequiumque praestat voluntas rationi contra naturam, id est: naturalem appetitum, quo ducti:

„Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata."

Quo fit, ut voluntas naturalis nunquam ex omni parte libera sit. Itaque naturalis disciplina ad cultum voluntatis non sufficit, sed altiori quodam voluntatis cultu opus est, eoque non repugnante rationi sed ratione ipsa fulto. Etenim ratio, ut omnis omnino conscientia, commode sensus internus vocari potest, qui cum externis sensibus commune id habet, ut re, aliqua objecta impleri debeat, qua tanquam vitae pabulo nutriatur; uno verbo: ut aliquid adsit, quod sentiat. Sensus enim nihil sentiens nullus est. Datur autem rationi quod sentiat, per fidem, i. e. certam animi fiduciam in aliqua efficacia auxiliatrice perfecta et absoluta. Non autem ratione ipsa proxime fides gignitur, sed animo, qui ita natura institutus est, ut, contra appetituum perversitatem, et summum bonum appetat, et id in aliqua natura absoluta captumque hominum excedente (Deum puta) positum esse credat, ita, ut quo purior sanctiorque animus ipse sit, eo facilius ac pronius vergat et in hoc desiderium, inque id, cujus hoc desiderium est, cujusque idea quidem rationi obversatur aequitatis perfectae specie, sed ea tamen non tamquam per se et extra humanam conscientiam exstante, nisi intercedat sponsio animi puri.

A cujus fide si ratio non abhorret (neque unquam ratio fidem respuit, sed animus perversus et sanctitate destitutus,) non solum vis ac natura divina clarius intelligitur, sentiturque verius: sed etiam voluntas per fidem, conscientiae ex certo sanctoque animi sensu additam, novum robur et quasi altiorem vitam induit, summaque potitur libertate, omnem appetituum perversitatem divinis quasi armis superante. Qualem in Lutheri, cujus memoria post tercentos annos pie adhuc celebratur, robustissimo animo admiramur, nullis impedimentis, periculis nullis, hostibus nullis perterrito. Atque hic summus voluntatis cultus est, eaque vis voluntati supra naturae largitionem addita, nobis quidem insititia dicitur, pariter atque insititii arborum fructus a spontaneis distinguuntur. Et profecto naturalis voluntas et insititia cum spontaneis arborum fructibus et insititiis in pari ratione sunt. Surculum vero insitivum voluntatis fidem diximus: quae, quo modo paretur, postremo loco dicendum est, quoniam sine fide voluntas insititia nulla est, quae ut sola libera, ita efficacissima. Atque est fidei assequendae via et ratio haec, ut, non te ipso fretus, sed, humanam agnoscens et fragilitatem et perversitatem, castoque ductus veritatis amore, cum pro principio, tum pro fine actionum vitae omnino omnium divina, i. e. perfecta atque absoluta habeas, quorum sensus et conscientia in ratione sive aequitate est, qua si imbutus animus fuerit, una et Dei notionem ac sensum, et certam in Deo fiduciam habebit; quae fides ea est, quam volumus.

CAPVT TERTIVM.

DE EFFICACIA VOLVNTATIS.

§. 10.

De voluntatis naturalis efficacia.

Quaecunque homo vult, neque naturali statu atque ordine turbato, neque altiori vi voluntatem stimulante: ea per naturalem perficit voluntatem. Ejusmodi motus organorum corporis ab arbitrio pendentium sunt, ut loquela, masticatio, respiratio, capitis, trunci, brachiorum, manuum, pedum motus. Atque horum quidem effectuum mira quanta in variis hominibus differentia est. Sunt, qui difficulter, tarde atque segniter admodum moveantur, sunt, qui mira celeritate, facilitate, decoreque. Sic ars saltandi, equitandi, natandi non omnibus communis est, quamquam a sola voluntate pendet, per leges artis atque exercitationes subacta. Pariter in arte musices, picturae, sculpturae, ut in reliquis omnibus, est, quarum virtus itidem a voluntate naturali pendet, perque eam comparatur sic, ut vel clarissimae istarum rerum notiones nihil valeant, nisi voluntas ad eas re et effectu exercendas accesserit. Atque sic civitates reguntur, et agri coluntur, et omnia geruntur omnino vitae negotia, non mente atque consilio, etsi per haec omnia inventa atque excogitata sunt, sed voluntate. Quid quod ad omnem mentis atque consilii usum voluntas quoque requiritur; ut voluntate, natura hominibus data, omnes omnino vitae naturalis actiones nitantur.

§. 11.

De efficacia voluntàtis, quae contra naturam est.

Quaecunque vel sentiuntur, vel cogitantur, vel aguntur contra naturam, in morbo sunt. Ergo voluntatis contra naturam efficacia in morbo est. Sunt autem ejusmodi phaenomena triplicis generis, quorum nunc quidem duo tantummodo commemorabimus, tertium infra suo loco. Alterum in maniacorum efficacia apparet. Ingenti enim et stupenda musculorum vi maniacos pollere constat, ita, ut saepe complurium et robustissimorum virorum vi coërceri vix possint, tum etiam lora et vincula adeo aenea haud raro facili opera fregisse hujusmodi aegros compertum sit. Quae ut musculorum vi aucta perficiantur, tamen hoc additum musculis robur, etiam in iis, qui torosi non sunt, aliter, quam per auctam voluntatem, licet stimulis alienis coactam, explicari nequit. Actiones enim quascunque voluntas ciet. Illa vero, quae diximus, in actionibus sunt. Aucta vero contra naturam maniacorum voluntas ideo est, quod legibus amplius nullis mentis rationisque obtemperat. Voluntas enim naturalis istis legibus coërcetur. Quae ubi, mente occaecata, amplius non agnoscuntur, voluntas instar torrentis est, riparum vincula rumpentis. Voluntas ergo sibi soli relicta legumque consortium relinquens nihil aliud tendit, quam limites omnes frangere. Unde maniacorum voluntas omnes res sibi objectas invertit ac destruit, efficacia scilicet contra naturam illimitata. Alterum porro genus voluntatis contra naturam efficacis in somnambulis est, qui quidem non solum obambulant

dormientes, sed etiam somno correpti cujuscunque generis vitae quotidianae negotia peragunt. Quod contra naturam est, ergo in morbo. In actionibus autem quum sint, quae ab ejusmodi hominibus peraguntur, a voluntatis efficacia pendeant, necesse est. Quare quantum voluntas vel contra naturam adhibita polleat, in his conspicuum. Nihil enim aliud est, quod actiones vel artificiosissimas istorum hominum regit, praeter voluntatem, sensibus et intellectui, vel dormientibus, imperantem. Videtur autem eo potentior, licet contra naturam, hac in causa voluntatis efficacia esse, quo minus a quotidiana sensuum et vitae consuetudine coërcetur. Qua in re somnambuli cum maniacis conveniunt, etsi inter modum agendi propterea magna intercedit differentia, quod maniaci exleges sunt atque omnia conturbant, voluntate effrenata, somnambuli contra a legibus internis pendent, quoad naturam externam liberi; quod non in statu naturali est.

§. 12.

De efficacia voluntatis insititiae.

Miramur hominum naturali voluntate pollentium, ut heroum, ut artificum, res gestas atque opera; stupemus efficaciam voluntatis, quae contra naturam incitata est in maniacis, in somnambulis. Sed est alia efficacia voluntatis, quae fere supra naturam dici possit, variis in causis conspicua. Ad quam videtur pertinere effectus terroris metusque vehementis in aegris, lecto detentis, artubus immobilibus, ut naturali voluntate ne paullulum quidem movere membra, nedum lectulos relinquere possint. Atque horum quidem,

incendio vicino, hostibus irruentibus, voluntas ita acuitur terrore metuve, et quasi supra humanos limites extollitur, ut exsilire e lectulis repentino motu atque aufugere valeant. Sed alia sunt, mirabiliora etiam, quae per experimenta locupletissima nuperrime repetita sunt, phaenomena efficaciae zoomagneticae, quibus fidem dare ii soli recusant, qui, quid fides polleat, mente concipere nequeunt, explicataque omnia atque intellectu enucleata cupiunt. Quibus si satisfieri possit, speramus fore, ut vel ipsi de efficacia zoomagnetica, quae in voluntate est per fidem incitata atque aucta, amplius non dubitent. Sunt vero etiam, iique plurimi, qui concedant quidem effectus mirabiles zoomagneticos, sed eos tamen per materiam zoomagneticam explicent. Quod vehementer improbamus. Materiam enim qualemcunque tandem somniarunt viri docti, non oculis unquam conspexerunt aut sensuum alio ullo instrumento perceperunt. Nihil enim nisi sensus nostros percipimus, certis legibus adstrictos atque externa efficacia, eaque ignota, excitatos. Sic oculorum sensus, et aurium, et gustus, et odoratus, et tactus externa efficacia in nos inferuntur, quam causam sensuum nostrorum permulti materiam dixerunt, hac voce extra sensus positam atque ignotam nobis efficaciam significantes: nemo vero neque luminis materiam, neque aliam ullam unquam percepit, quippe fictam mente atque imaginatione. Ut verbo rem absolvamus: jam pridem Kantius extra ullam dubitationem probavit, nos in mundo phaenomenorum collocatos esse, nihilque nisi phaenomena animadvertere, causa phaenomenorum abscondita. Hanc autem in materia quaerere, quippe quae sensibus non obversetur, absonum

est: sufficit, efficaciam nos externam viriumque ignotarum complexum negare non posse, quia nihil efficitur sine efficacia. Itaque ut omnis omnino materia, sic, quae nunc plurimum apud permultos valere videtur, eaque subtilissima, aetheris mundani sive vitalis, non minus in somniorum numero habenda est. Nam aether ejusmodi, non sensu perceptus, sed mente excogitatus, sensuum ditionem excedit; quamque vim divinam quasi huic nimirum aetheri tribuunt, mundi genetricem conservatricemque, ea omnem divini numinis ipsius notionem in se continet, quam constat omnipotentia, sapientia, et bonitate contineri, sine quibus neque creatum esse mundum, neque conservari, nisi ratione omni objecta, intelligimus. Superfluum autem est, divino numini aetheris nomen addere, substituere vero adeo impium. Iis enim jam loquor, qui deum esse credunt. Nam si aether iste sic dictus, ex Mesmeri et Wolfarti aliorumque sententia, omnia et creat et animat, et servat et regit, deo non indigemus omnipotente. Si vero dei supremi nutu ac numine perque ejus sapientiam mundus et creatus est, et servatur, supervacanea aetheris idea est: nam ridiculum est credere, deum, humani fictoris ad instar. ad creandam naturam aethere opus habere; quae quidem opinio una cum falsa materiae hypothesi corruit. Sed ut redeamus, unde digressi sumus: si per materiam quamcunque effectus zoomagnetici non explicantur, dynamica via et ratione explicentur necesse est. Nihil autem aliud quum *δυναμις* significet, quam efficaciam: dynamicam etiam rationem omnem ac legem in efficacia limitibus certis circumscripta poni opus est. Quum vero nihil, etiamsi modo mere mechanico vel chemico

fiat, sine efficacia fiat: ne mechanica quidem et chemica phaenomena aliter, quam dynamica ratione, explicari convenit. Igitur rerum universitas, quam istiusmodi phaenomenis complectimur, nihil aliud, quam virium multifariam diversarum efficacia est. Vim autem atque efficaciam, qua homo agit, ab hac communi dynamica ratione non recedere, statim elucet. Phaenomena vero zoomagnetica, quum humana efficacia proliciantur, quumque humana efficacia omnis in voluntate posita sit: sequitur, a voluntate humana pendere ejusmodi phaenomena. Sed quoniam non in consuetis vitae humanae actionibus sunt actiones zoomagneticae, quumque ad earum plane singularem naturam explicandam voluntatis vulgaris efficacia non sufficiat: voluntatis insititiae vis atque efficacia eaque multo naturali fortior in mentem revocanda est, ut quae adaucta et quasi armata per fidei divinam potentiam mirabilia illa valeat perficere. Sed incassum fidem advocare videmur iis rebus, quae contra naturales leges videntur pugnare. Igitur mente et cogitatione primum illa repugnantia removenda est. Igitur positum sit, morbos aliquos actione zoomagnetica sanari. Proinde quaeritur, quomodo possit sanatio morborum, qui in organa atque systemata corporis humani cadunt, cogitari, quae proliciunda sit per efficaciam zoomagneticam. Scimus autem experientia, quamlibet sanationem fieri per vires organicas, apto et congruenti modo concitatas. Sic febres gastricae, nervosae, intermittentes, sanantur stimulis ejusmodi, qui morborum stimulos oppugnant et vincunt. Hinc medicamentorum vel purgantium, vel nervinorum etc. effectus. Sed in his aliqua communio et consociatio

corporalis est cum morbis ipsis, ut corporalibus conditionibus, et facile per vires medicatrices, quae in pari ratione sunt, effectus salutares mente et cogitatione concipi possunt. Aliter in voluntate, quae etsi corporea natura non est, tamen in corporea mala agere perhibetur. Sed videndum est, quid sub corporea natura intelligendum sit, numque fieri nequeat, ut corpora organica viva cum voluntate in parem rationem referantur. Est autem lex constans naturae dissimilium aequatio; ex qua rerum servatio pendet. Inde similia gestiunt dissimilia sibi assimilare. Motus motum ciet, inertia inertiam, ita ut fortior vis debiliorem vincat. Quod in mechanicis videmus. Globulus motus globulum quietum movet. Sed fortior moti corporis vis sit necesse est, quam quieti; quod ubi secus est, motum corpus quiescere cogitur. Eadem lex in chemicis valet nomine affinitatis. Unde corpora et solvuntur et componuntur, pro majore affinitate. Porro inter mechanicas vires et chemicas ea valet ratio, ut mechanicae a chemicis, quippe energia altiori pollentibus, vincantur. Potentius etiam imperium virium organicarum est, quae, nisi nimis intensae vires chemicae sint, has vincunt sibique assimilant. Atque hoc pacto nutritio corporum organicorum fit. Sed est quartus denique virium ordo, dynamicarum κατ᾽ ἐξοχην dictarum, licet omnes vires sint dynamicae, quod idem per idem dictum est. Sed quoniam, ordine naturae non turbato, organicae vires dynamicis sic dictis, quippe majore vi pollentibus, vincuntur, hinc istis δυναμεως nomen prae reliquis tributum est. Atque in his dynamicis viribus voluntas est. Nulla autem voluntatis viriumque organicarum, chemicarum, me-

chanicarum, alia differentia est, si a modo, quo agunt atque a forma, quam induerunt, discesseris, quam quae est in energia: nam communem omnes inter se efficaciam habent, atque in efficaciae phaenomenis omnes conveniunt, perque ea communionem inter se admittunt. Unde fit, ut dynamica vis, si energia reliquas superet, in omnes has possit agere sibique eas subjicere. Sic aqua, vitrum, metalla, plantae, etc. efficacia zoomagnetica possunt affici; quod numerosa experimenta docuerunt. Sed an haec eadem valent de voluntatis efficacia in alios homines eorumque corpora organica? Valent utique ex eadem lege. Ac primum quidem de efficacia quadam vulgari voluntatis in alios homines dubitare non licet. Experientia enim docet, nos posse alios (licet non omnes, quod facile explicatu est) verbis, oculis, nutu, manuum motibus flectere ac regere; sic dominus servum, sic dux militem, sic praeceptor discipulum, sic parentes liberos, sic amantes amantes regunt. Atque ea omnia fiunt, fortiorum voluntate, in sanis. In aegrotis multo graviora etiam accidunt. Hi enim, et nervosa vi et voluntatis efficacia debilitata, sanorum voluntate robusta, quae manibus, oculis, voce, ad eos admovetur, afficiuntur ita, teste experientia zoomagnetica, ut modo vitali robore novo caloreque salutari impletos se sentiant, animoque toto exhilarentur, modo somno oppressi sic dicto magnetico, a rerum externarum efficacia amplius non tangantur, sed possint tamen denuo expergefieri per voluntatem medici, quocum tam arcte quasi cohaerent, ut, ubi dormientes conscii sibi facti fuerint, sensu, cogitatione, actione, alienae illius voluntatis instrumenta videantur esse.

Ex quo efficitur, quam vulgo sympathiam dicunt, nihil aliud esse, quam copulationem quasi virium exiguarum cum fortioribus, ex sola assimilationis lege, cujus efficacia, ut in universa natura, v. c. in distributione sic dicta electrica, ita etiam in organico et psychico virium ordine conspicitur. Huiusmodi exempla exhibent morbi contagiosi, epilepsia, insania ipsa. Ad quod genus etiam sectarum fanaticarum rapidi progressus pertinere videntur. Sed haec non contra voluntatem insititiam dicta sunto, quippe quae in morbo non est, sed cujus potius saluberrima efficacia est. Intererat tantum rationem reddere modi, quo major efficacia minorem excitet, sibique assimilando subjiciat. Atque hac sola explicatione opus videbatur esse, quo impedimenta tollerentur, quae fidei voluntatisque mirabili efficaciae obstant.

§. 15.

De efficacia voluntatis insititiae ea, quae in miraculis est.

Atque hoc ipso modo miracula explicari debent, alia ratione inexplicabilia. Miracula supremae voluntatis signa atque effectus sunt; eademque ratio est inter effectus zoomagneticos et vera miracula, quae est inter effectus efficaciae electricae, arte et machinis concitatae, atque inter fulmina coeli. Quae quemadmodum natura non differunt, sed energia tantum: sic effectus quoque zoomagnetici et miracula. Miraculis intente et nutu quasi perficiuntur sanationes repentinae et perfectae gravissimorum morborum, quum contra debiliore et lentiore efficacia zoomagnetica sanationes morborum minus gravium non nisi pedeten-

tim parentur. Inest etiam efficaciae, quae miracula gignit, naturalis quaedam necessitas, ut, in quo homine perfecta voluntatis sanctitas purissimaque fides insit, is necessario miraculorum perficiendorum compos debeat esse. Quare, si ex Apostolorum tempore miracula vera siluere (siquidem siluerunt) ea hominum a vitae sanctitate alienorum, culpa est. Sed de his jam reticemus, quippe a fine proposito nobis alienis.

§. 14.

Quid de fascinatione statuendum. Voluntatis insititiae apologia.

Tam frequentia omnibus temporibus populisque fascinationis et praestigiarum exempla sunt, ut certe aliquam veritatis suspicionem moveant. Neque magis inter se pugnant miraculorum et fascinationum, quam Dei ac diaboli ideae, veritatisque ac mendacii notiones. Quodsi fascinationi locus aliquis inter res in facto positas concedendus sit: praestigiarum et fascinationis methodus, aeque ac zoomagneticorum effectuum et miraculorum ratio a voluntate derivanda erit. Qualiscunque enim fascinationis efficacia sit, efficacia tamen est, eaque in viribus haerens, quae hominibus sola voluntate reguntur; neque ulla materiae sic dictae vis ne in hac quidem caussa concedi potest. Sed quaenam voluntatis species in fascinatione efficax sit; siquidem ejusmodi sive artem, sive fraudem concedamus: in id sedulo inquirendum est. Igitur si negari nequit, tum in miraculis, tum in effectibus zoomagneticis, bona et salutaria quaevis et appeti et parari, in fascinatione contra atque praestigiis mala ac perniciosa: utraque ex eodem fonte manare non posse, certum est.

Ergo ex voluntate bona, cum fide, derivari fascinationes et praestigiae nullo modo possunt. Neque tamen magis voluntas naturalis ad eas explicandas sufficit. Ergo ex voluntate, quae contra naturam est, derivandi ejusmodi effectus sunt. Cujus voluntatis duas species supra commemoravimus, in mania et somnambulismo conspicuas, easque in morbis esse ostendimus. Atque ex his quidem derivari fascinatio neutiquam potest, partim ob effectuum dissimilitudinem, partim ob agendi modum. Illis enim morbosis conditionibus consilium atque arbitrium nullum subest: inest vero fascinationi. Quare non ad morbos, sed ad vitia, adque crimina adeo fascinatio referenda est, quia arbitrii ac voluntatis abusu continetur. Fascinatio itaque ut tertia voluntatis contra naturam species ponenda est, eaque ab animi commotionibus abnormibus concitata. Potentibus enim stimulis opus est ad instillandam voluntati tantam efficaciam, quanta ad effectus fascinationis procreandos requiritur. Superantur enim hic quoque vires debiliores rerum a vi fortiori voluntatis, eadem lege atque conditione, quae supra ad explicanda phaenomena voluntatis supra naturam efficacis adhibita est. Itaque in fascinatione cupiditates immensae similem vim habeant in voluntatem necesse est, atque in actionibus zoomagneticis et miraculosis fides. Comparari proinde poterit fascinationis vis in iis, qui hanc in se excitarunt, etiam eorum efficaciae, qui contagioso aliquo morbo laborant, stimulis perniciosis excitato, qui morbus ad alios afficiendos sufficit. Atque haec quidem ad declarandam hanc rem admodum obscuram eamque a materia nostra prope alienam, sufficiant. Operae pretium tamen erat, eam commemorasse atque

distinxisse ab effectibus salutaribus, de quibus nobis sermo est. Atque ex his facile colligitur ingens non differentia solum, sed etiam discrepantia voluntatis quae contra naturam est, a voluntate ea, quam insititiam diximus, quaeque in fide est, cui natura ac vis quaedam divina est, cum castitate ac sanctitate animi arctissime conjuncta, etiamsi, qui fide ad voluntatem corroborandam utantur, quo divino adjumento utantur, conscii sibi saepenumero non sint. Quod haud ita raro accidere arbitramur in iis, qui efficaciae zoomagneticae operam navant. Id enim apud omnes hos animo constitutum est, eaque ab omnibus tanquam agendi norma certa et rata ponitur, ut velint ea tantummodo, quae aegrotis bona et salutaria sint. Neque potest fides sine bonitate voluntatis cogitari, quid quod a divino numine, cui fidentes credunt et semet ipsos et res suas, fides tanquam pietatis specimen, et quasi summa et genuina virtus postulatur. Quare fides omni opprobrio omnique culpa caret. Atque ita quidem responsum sit iis, qui male de studio zoomagnetico sentiunt, et id studium existimant a vera humanitate alienum, quae nobis contra, ut perfecta omnia et cupit et praecipit, ita etiam voluntatis perficiendae usitandaeque studium videtur tanquam rationi convenientissimum commendare.

§. 15.

De cautione in voluntate insititia adhibenda.

Quamquam sine voluntate nihil hominibus perfici clarum est, eamque omni modo excolendam esse demonstravimus, ita ut insititia etiam voluntas quippe

rationi non repugnans, appetenda sit: tamen in hoc genere duo potissimum vitia vitanda sunt: alterum, ne fiduciam coecam pro fide, impuramque voluntatem pro pura habeamus; alterum, ne voluntate vel vere insititia perque fidem corroborata uti nos posse putemus ratione non adhibita. Ex quo duplici vitio varia gignuntur incommoda. Primum enim fieri plane nequit, ut voluntas, quae vere insititia non est, ea perficiat, quibus sola per fidem roborata voluntas par est; ex quo sequitur de efficacia hujus voluntatis dubitatio, quae suspectum hunc agendi modum apud alios reddere potest, ejusque comminuere salutarem vim. Deinde monendum est, rationem fidei quasi comitem datam esse, fidemque veram nihil posse perficere rationi non consentaneum: utraque enim divinae indolis est. Atqui ratio summa lex est, qua et naturales res et humanas conscientia comprehendimus: itaque absonum est, ea sibi ad perficiendum excogitare, quae rationi, tum naturalibus rebus, tum humanis adhibitae, repugnant. Ergo si quis coeco arbitrio ductus putet se voluntate insititia, quaecunque lubeat, posse perficere, is vehementer errat, et meritas poenas dabit spe prosperi eventus frustrata. Ad quod accedit, quod in iis omnibus vitae negotiis, quibus voluntas naturalis sufficiat, cavere debemus voluntatem altiorem seu insititiam adhibere: quippe contra rationem est, ad ea quae naturali via perfici possunt, altiorem efficaciam evocare. Quod haud exigui momenti est. Igitur cum id curandum est, ut fides ex animo casto, tanquam ex fonte puro hauriatur, tum id negligendum non est, ut ne quid aut appetatur aut agatur contra rationem. Quae si recte observantur, omnis et abusus voluntatis et nisus inutilis evitabitur.

§. 16.

De methodo adhibendae voluntatis insititiae universe.

Igitur ut certum ratumque sit, voluntatem insititiam in iis tantum morbis adhibendam esse, in quibus naturalia remedia non sufficiant, videndum est, quo pacto haec via ingredienda sit. Puro igitur juvandi studio incitatus medicus, atque imbutus voluntate fidei plena, adhibeat aegrotis, pro re nata, manus, oculos, verba. Attamen quum non magistri statim simus in unaquaque arte, sed discipuli: adminicula non respuenda sunt iis usitata, qui vulgo arte zoomagnetica ad sanandos morbos utuntur. Ac maxime hic quidem convenit tironibus notissima methodus Mesmeriana, a pluribus jam pridem medicis, et nuper denuo a Wolfarto observata. Qua quo exercitatior sis, eo habilius arte atque simplicius uteris. Manipulatione enim sic dicta artificiose atque operose adhibita non admodum opus esse, experientia docuit, teste schola Puysegurii, eorumque, qui hunc sunt ducem sequuti. Quo potentior autem voluntas est, eo frequentius, certius, celerius auxilium. Credere et velle, inquit Puysegurius, sufficit. Atque in eo insistendum, eaque ars quotidie magis exercenda est. Omnia experimento comprobanda, in quo fallacia nulla est. Ante omnia autem voluntatis vis est anquirenda, sine qua nihil agitur, quaeque tanquam ignis sacer et excitari et foveri debet. Quod non sine magno labore fit. Sed

Της ἀρετης ἱδρωτα Θεοι προπαροιθεν ἐθηκαν.

CAPVT QVARTVM.

DE VOLVNTATE INSANIAE CVRANDAE ADHIBENDA.

§. 17.

Praemonenda.

Quam voluntatis vim in sanandis morbis gravioribus omnino praedicavimus, eam non mirum est nos ad sanandam etiam insaniam advocare, quippe quae in morbis est, ut explicatu, sic tractatu, difficillimis. Quare, cum in utraque re haud parum differre medicos videamus: primum pauca, tam ad cognitionem, quam ad curationem insaniae attinentia monebimus, deinde voluntatem, ut potentissimum insaniae remedium, commendabimus.

§. 18.

Insaniae notio ac partitio.

Sanum mente vel animo eum dicimus, qui sui compos est, et ita se possidet, ut conscientia atque arbitrio nunquam non utatur. Hic liber est. Libertas autem omnis in ratione est, quippe quae solam suam, non alienam legem sequitur. Sed rara haec aequabilitas in plerorumque vita est, quos tamen insanos nemo dicit, utpote facultate certe arbitrii praeditos. Quid quod ne eos quidem insanorum numero adscribimus, qui aut in febribus delirant, aut, ne morbo quidem affecti, per vini vel narcoticorum quorumcunque vim, vel turbati vehementibus animi commotionibus, ut ira, ut terrore vel timore praegravi, per

breve horarum, aut longius etiam dierum spatium conscientiae atque arbitrii usu destituti fuerint, mox ad sanam mentis conditionem redituri. Atque hos insanire quidem non infitiamur iisque insanientium nomen, quamdiu in morbosa illa conditione sunt, competere concedimus, non tamen insanorum: ut in quos diuturna conscientiae atque arbitrii jactura cadat, non stimulis transitoriis provocatum delirium. Atque in hac quidem definitione insaniae, ut consueta ac diuturna libertatis jactura sit, nulla neque medicorum, neque psychologorum dissensio est. Sed de formarum insaniae distributione disceptatur. Qua in re tribuendum aliquid putamus esse insanorum variorum conditioni, formasque insaniae ex insanis ipsis multifariam inter se differentibus non effingendas quidem, attamen colligendas. Igitur, ut omnes libero arbitrio diuturne destituti sint, tamen in eo differunt, quod pars, caeco quasi coactu excitati, perverse vel sentiant, vel cogitent, vel agant, in aliis vero sentiendi, cogitandi, agendique vis fere exstincta sit. Dementes illos, hos amentes dicimus, et pariter quidem utrosque subjugatos: illos perversitate, hos imbecillitate. Dementiae porro aeque atque amentiae tres formas ex nostra aegrorum observatione statuimus easque ex naturae psychicae organica conditione explicandas. Quum enim sensus vis in animo sit, cogitationis in mente, actionis in voluntate: prout una pars animae prae reliquis laesa est, sive in dementia anima sit, sive in amentia, utriusque tres formas simplices agnoscimus, quae quidem hac simplicitate sua rarius medicis conspiciuntur, frequentius mixtae inter se atque complicatae occurrunt. Atque alteri insaniae generi, quod

in dementia posuimus, species hae sunt: *) ἐκστασις (Wahnsinn), quae ad animum pertinet extra se raptum, ut in amore insano; παρανοια (Verrücktheit), quae eorum est, quos mente captos proprie dicimus; μανια (Tollheit), quae in voluntate effrenata est atque in actionibus furiosorum cernitur. Alteri insaniae generi, amentiam dico, formae sunt hae: μελαγχολια, in qua moeror ac tristitia animum quasi comedunt consumuntque; ἀνοια (Blödsinn), quae mente prorsus hebete cernitur; ἀβουλια (Willenlosigkeit), in qua voluntatis jacturam fecerunt aegroti. Atque hae quidem formae insaniae, sive dementia ea sit, sive amentia, simplices sunt, quarum singulae subtiliorem etiam divisionem admittunt, ut παρανοια, pro varia mentis captae forma, modo μωρια est (Narrheit), quae de persona ipsa delirat, modo ἐκνοια (Wahnwitz), cui judicium de rebus externis perversum est, modo παραφροσυνη (Aberwitz), quae mundum intelligibilem, qui dicitur, perverso modo creat. Sed haec subtiliora commemorasse sufficiat, licet non ficta sint, sed in chronicis insaniae formis conspicua **). Nam ut aliis notis signisque insania cum vulgaribus morbis convenit, ita etiam natura modo acuta, modo chronica, pariter atque et simplicitate et complicatione et conversionibus variis transitionibusque. Sed penitus intelligi insania, nisi eius natura perscrutata, nequit. Quare de hac breviter disserendum est.

*) Vocum, notionibus novis novaeque partitioni adhibitarum, earumque vel plane non, vel non consueto significatu usitatarum, veniam petimus. Latina hujusmodi ne exstant quidem vocabula. Ad Graecos ergo confugimus.

**) Plura de his in libro mox prodituro: Lehrbuch der Seelenstöhrungen und ihrer Behandlungen.

§. 19.

De natura insaniae.

Est in conscientia, quasi pars ejus aliqua, sancti aliquid, et tanquam animae ipsius vitale principium, idque ejus quasi compagem continens et actionem omnem ad unum finem, rectum puta, flectere gestiens; unde haec conscientiae pars recti conscientia dicitur: Genium Socrates aliique dixerunt. Atque hoc quidem animae principium quamdiu viget et actuosum est in homine, potest certe homo a veritate non aberrare, quoniam rectum et verum congruunt atque ineffabile illud significant, quod sancti et inviolabilis nomine insignimus. Legem moralem vulgo appellant. Igitur haec, non scripta, sed nata lex, quia, divinae vocis ad instar, conscientiam, tanquam aurem, personat, λογος Graecis dicitur, Latinis ratio, quod, quaecunque homini ex hac lege aguntur, justam rationem exprimunt. Atque proprium est huic, sive conscientiae recti, sive sanctae voci, sive rationi, ut, quotiescunque homo ei se accommodet, se integrum vitae scelerisque purum, et inde liberum a culpa sentiat. Atque haec ea vita est, ad quam homo nascitur, quamque colere unusquisque debet. Atque hujus quidem vitae in iis quos insanos dicimus ne vestigium quidem est, ita, ut, quamdiu in conditione insaniae versentur, destituti sint duce illa vitae verae humanae, utque divina illa lex, durante insania, obliterata fere atque exstincta videatur; proinde ut eorum anima parte sua nobilissima, et quasi propria vita careat. In qua abnormitate natura insaniae continetur. Itaque quam insaniae sive corpoream naturam, sive psychicam aliam, quam nos

posuimus, statuunt, ea vera insaniae natura non est. Etenim natura insaniae saepe cum caussa insaniae perperam commiscetur. Igitur ut caussa insaniae proxima, licet stimulis saepe psychicis excitata, nunquam non corporea sit: natura insaniae tamen semper in rationis defectu continetur. Hóminis enim idea in anima est, rationis ope per vitam terrestrem expromenda atque excolenda. Ergo quaecunque a primis incunabulis vitae signa in homine apparent, animam explicantem sese atque exercentem in aprico ponunt; exceptis iis corporibus vivis, humanam formam prae se ferentibus, in quibus structura et vis cerebri et nervorum in morbo est, quibusque quasi congenita amentia est. Ubi vero, naturali modo, anima adolevit ad conscientiam, (nam prius neque de ratione, neque de insania sermo esse potest) aut sanctitatem vitae tuetur, tramitemque recti sequitur, aut rebus mundanis ducitur atque corrumpitur. Quod ubi fit, animi turbis perpetuis vivitur, quae ut sensim libertatem ac rationem omnem tollunt, ita corporis compagem pedetentim pessumdant. Atque ita accidit, ut tandem stimulis externis, animam vel excitantibus, vel deprimentibus, in multis insania, modo hac modo illa forma, oriatur, quam comitatur atque alit corporalium instrumentorum affectio, eaque gravis admodum et haud raro diuturna, ut in destructionem adeo partium abeat. Quae etsi insaniae ipsius proxima caussa habenda est, tamen, ut diximus, naturam insaniae non constituit. Sed de caussa insaniae multiplici, quippe qua multiplicia eius sanandae impedimenta cognoscuntur, seorsim dicendum est.

§. 20.

De caussa insaniae multiplici.

Primus insaniae fons nativus est malae conformationis ab effoetis et varie aegrotantibus parentibus. Inde aut systematis nervosi immaturitas quaedam in prole, atque nativa amentia, aut indoles ad insaniam haereditaria gignitur, ocius serius sese proditura. Secundus fons in vita perversa eorum est, qui insaniam patiuntur. Corporis mentisque in educatione neglectus, indeque pravus habitus corporis et animi: immoderatio atque intemperantia omnis generis, ut ad voracitatem, ad libidinem, ad luxuriam, ad rixas, ad invidiam, ad avaritiam, ad segnitiem, ad superstitionem, verbo ad omnis generis vitia proclivitas. Deinde, vita longius progressa, desidia, voluptate, cupiditatibusque omnis generis immodicis, neglectuque rei domesticae atque insequente moerore atque angore corporis animique vires exhaustae dementiam aeque atque amentiam gignunt. Tertius fons est in rebus fortuitis in hominem incidentibus. Sunt morbi graves, chronici aeque atque acuti: typhus, morbi exanthematici, impetigines, ulcera male sanata, profluviorum sanguineorum retentiones, puerperales morbi, arthritis, inflammationes hepatis, uteri, cerebri ipsius, intermittentes febres male curatae. Quae cuncta tamen etiam tum neglectu atque incuria, tum perversitate vitae possunt oriri. Accedit fortuna nimis vel secunda vel adversa, affectuumque animi graviorum agmen, quibus omnibus homo aut raptim extra se trahitur, aut lento cruciatu consumitur: atque utraque in caussa utriusque insaniae fomes nutritur. Ac mira quidem

istarum omnium caussarum in plerisque, qui in insaniam incidunt, conspiratio est; ut vix unam alteramve solam agere putandum sit, neque repentino effectu morbi hanc vel illam formam gigni, sed plerumque diu ac multipliciter praeparari fomitem, usque dum, data occasione, prorumpat morbus, natus autem aut post varias vicissitudines sanetur, aut protrahatur sive sibi constans sive in aliam formam mutatus, aut cum vita ipsa exstinguatur. E quibus omnibus elucet, quam difficilis sit et implicata insaniae sanatio, tentata illa quidem varie ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem, sed ambiguo saepe, nostra quidem sententia, successu. De qua re pauca et referenda et monenda sunt.

§. 21.

Insaniae medendi methodus apud veteres.

Insaniam ex antiquissimis temporibus partim e caussis studuerunt curare medici, partim e symptomatibus. Ac prisci quidem omnino omnes bilem adustam in caussa insaniae habuerunt eamque subtrahere purgatione, vomitu, sanguinisque detractione, operam dederunt. In vulgus nota methodus helleborismi veterum est, cujus jactura an admodum dolenda sit, dubitandum est: temporum, hominum, vivendi generis, morborumque ipsorum diversitate aliam hodie quam olim medicinam suadente. Sunt etiam inter veteres ipsos, qui hellebori vim metuant, ob periculosa per eum excitata symptomata. Quare v. c. Alexander Trallianus lapidem armenium (cuprum intellige) multum praefert helleboro. Caeterum jam ante Alexandrum ejusque aequalem Aetium, Celsus, Are-

taeus Cappadox, Caelius Aurelianus, praeter commemorata medicamenta, balnea etiam, et frictiones, et capitis tonsi fomentationes, et cucurbitulas, et errhina, et somnum cientia, et tenuem victum, et corporis exercitationes, adeoque psychicam medicinam variam proposuerunt, ut ferocibus vincula, et verbera, et terrorem, et objurgationes, et famem, et solitudinem, et, lucis impatientibus, tenebras; meticulosis contra musicam et strepitum omnino, et blanda colloquia spem et solatium ferentia, tum oblectamenta varia, peregrinationes; denique iis, quos consilium falleret, mentis memoriaeque varias exercitationes lectione, recitatione et hujus generis alia. Quibus omnibus, ut aptissima sint, an radicitus saepe insaniam veteres everterint, quum ipsi de hac re nihil enarraverint, antiquitatis obscuritate sepulta jacet fides.

§. 22.

Recentis aevi insaniam curandi modus.

Postquam, Galeni sub imperio, ad decimum sextum usque seculum veterum morem sequuti medici fuerant, inde ab hoc autem tempore in Italia, Helvetia, Belgia, Germania, observationibus exemplorum rariorum et cadaverum sectionibus operam navaverant: recentissimi tandem inter Anglos, Gallos et Germanos medici, cum in caussis insaniae inveniendis, tum in stabilienda ejus cura assidui, variis modis hanc medicinam locupletarunt. Et Angli quidem reliquis facile principes. Quamquam enim non neglexerunt medicamenta veteribus adhibita, tamen partim nova addiderunt e genere pharmacorum, ut camphoram, et moschum, et digitalem purpuream, et narcotica, et

corticem Peruvianum, et mercurium, aliaque; partim machinamenta invenerunt ad terrorem aegrotis ferocibus attonitisve injiciendum, ut machinam rotatoriam ad compescendos eos, qui nullo alio modo domari possent; partim curae summam in exercitationibus corporis rusticis, ut horti agrique cultura, posuerunt, victum simul bene ordinatum, imperiumque in aegrotos strenuum stabilientes. Minus medicamentis et actuosae omnino curae faventes Franco-Galli id potius assequi data opera annisi sunt, ut quam minimum vires naturae medicatricis aut frangerent medicamentis debilitantibus, aut incitantibus exasperarent, leniter impedimenta sanationis submoventes, adeoque maxime methodum exspectativam servantes, ad certas morborum periodos attenti, quippe quibus auxilium natura ipsa ferre consueverit. De qua observatione hi quidem optime meruere. Denique nostrates cum imitati sunt quaevis salubriter ab Anglis et Gallis instituta, tum vero etiam in eo amplius progressi, ut psychiatriam, proprie sic dictam, excogitarent, eam tamen, huc usque mente magis atque imaginatione, quam re et usu perfectam, cum quod ad regulas educationis insanorum, puerorum ad instar, pertinet, tum quod ad excitationes psychicas vario modo graduque propositas. Quamquam enim non infitiamur, in nonnullis insanis educationem aliquam, qualis puerorum est, locum habere posse, alios autem posse stimulis variis, corpus animumque afficientibus, aliquo certe gradu ad se revocari: tamen, an utraque ratione, medicamentis etiam additis, prorsus ad se revocari liceat aegrotos plerosque, habemus de quo dubitemus.

§. 23.

Epicrisis.

Atque haec fere sunt, veteris aeque atque recentis aevi, tum incredibili studio inventa, tum experientiae rationique convenienter proposita. Sed multum interest inter curam morborum atque sanationem: haud raro enim diligentissima cura morbis non medemur. Igitur ut de veteribus reticeamus, quos nimirum temporum premat obscuritas, hodie quidem, cum apud Anglos potissimum et Franco-Gallos, tum apud nostrates, haud ita longo ex tempore, sanatae saepe insaniae fama, admittentisque sanationem, longe lateque resonat, ita ut quinta minimum aegrorum pars, saepe quarta vel tertia etiam, interdum dimidia et amplius, sanari perhibeatur. Willisium adeo ex decem sanasse novem accepimus. Quibus omnibus ne temere fidem habeamus, cavendum est. Ut enim largiamur, maximam etiam istiusmodi aegrorum partem sanari, (quod aegre nos concedere ingenue fatemur:) multum tamen, quin dicamus plurimum, tribuendum esse censemus primum generi vel speciei insaniae, deinde recenti morbo, tum aetati aegrotorum, porro naturae viribus medicatricibus, denique variis aliis, arte non providente, fauste fortunateque accidentibus. Facilius sanatur mania, quam reliquae sanantur insaniae species, facilius recens morbus quam inveteratus, facilius florente aetate, quam longius progressa, facilius ubi natura ipsa, impetu quodam, crisibusque per alios morbos excitatis, efficax est, quam ubi naturae vires aut deficiunt, aut suppressae sunt ac torpent; facilius denique, ubi, quae sanando morbo faveant, fortuito et

praeter opinionem ea accidunt atque in promtu sunt, ut terror subitus, aut gaudium inopinatum, quam ubi nihil horum accidit. Igitur mirum non est, si certis temporibus locisque major aegrorum numerus convalescit, in quos commoda ea cadunt, quae modo commemoravimus. Quare in aegrotis hujusmodi sedulo inquirendum est, cujus generis fuerint, cogitandumque est, aeque facile in his caussis posse medicos decipi, atque aegrotos decipere. Sunt enim haud pauci insanorum, qui dimittuntur e medicorum cura, reapse non sanati, sed speciem tantummodo sanatorum prae se ferentes; sunt alii, qui per tempus aliquod restituti aliquanto post in morbum eundem vel similem recidunt, nihilominus scilicet in sanatorum codicillis numerati. Vix enim fidem habuerim auctoribus etiam gravissimis, diuturno huiusmodi morbo aegrotantes sanatos esse perhibentibus vel per verbula sive faceta sive acria, vel per dexteritatem aliquam atque ἐγχείρησιν, ut per alapam, inopinate aegro fastuoso inflictam. In quibus narratiunculis gravissimi effectus a levissimis caussis deducuntur. In vulgus enim notum est, quam parum omnis generis insani aut ad verba et actiones sanorum animum advertant, aut, si id agant, quam perverse id fiat, ita, ut nec verborum nec rerum rectam rationem habeant, humanitatem omnem atque prudentiam aliorum nihili facientes, spernentes, aspernantes. Equidem ingenue fateor, ne in acutis quidem hujuscemodi morbis talia mihi portenta veris similia videri, nedum in longis, quippe in quibus cum gravissimae caussae gravissima mala genuerint, tum consuetudo morbi in alteram quasi naturam transierit. Quanta maniacorum chronicorum, melancholicorum,

mente captorum atque amentium copia in aedibus publicis inclusa servatur, quibus omnis generis medicamina vel per plures annos incassum adhibentur. Ducentos trecentosve hujus generis in una domo vidi. Medicamenta quidem innumera his malis praescribuntur, totque sunt paene medendi methodi, quot medici: sed facilius in libris sanantur aegri, quam in lectulis.

§. 24.

De voluntate medica, insaniae remedio potentissimo.

Igitur ut non denegetur usitatae medicinae efficacia, constat tamen, quam parum saepenumero ad sanandos insanos medicamenta quaelibet sufficiant. Quare quum in iis generibus, quae ambigue hucusque sanata sunt, tum in iis, quae plane non per artem subjugata, validius auxilium tentandum est. Atque id in voluntate adhibenda positum statuimus; quam medicinam iis tantummodo denegandam putamus, qui aut a natura amentes sunt, aut luculentissimis signis vitio aliquo organico cerebri videntur laborare, aut quibus nimis inveteratum malum est, ut senibus. Igitur magna quum vel in sanis regendis ac flectendis voluntatis vis atque efficacia sit: major etiam in compescendis aut erigendis insanis esse debet medici voluntas, insititiam dico, quippe quae est naturali multo potentior. Sed hanc ponimus medico in promtu esse, vel naturae quasi quodam dono ei tributam, vel exercitatione atque labore paratam. Exstant exempla medicorum, qui oculorum obtutu, voce, manuum motu, quin praesentiae solius gravitate multum apud aegrotos potuere. Ejusmodi imperium in aegrotos Willisius,

celeberrimus Anglus, habuisse praedicatur; sic celeberrimus Pargeter multa aegrorum exempla refert eorumque ferocissimorum, inter insanos, apud quos, in cubiculum eorum solus atque inermis ingressus, tantum valuit solo oculorum obtutu, ut compositi placidique sponte obtemperarent. Sic Langermannus, inter nostrates, solius praesentiae auctoritate insanos, suae curae traditos, perculit. Sed, ut diximus, voluntate, tanquam prima lege atque conditione, opus est robusta atque exculta, qualem Mesmerus se testatur in semet ipso, studio atque opera adhibita, excoluisse ad usum efficientiae zoomagneticae, in qua etiam insanorum curatio per voluntatem est, cujus adhibendae methodum breviter nunc descripturi sumus.

§. 25.

De methodo voluntatem insanis adhibendi.

Primum positum sit, nihil eorum negligi debere in insanis, quae proficua omnino iis esse experientia docuerit. Itaque salubribus in locis contineantur, semoti tum a familiaribus, tum ab odiosis quibuscunque vel hominibus vel rebus, circumdenturque famulis bene instructis; tum adhibeantur ad labores varios atque ad exercitationes, pro re nata, vel corporis, vel mentis, vel utriusque, denique subleventur, si res ita fert, medicamentis aptis, aptoque victu nutriantur. Ante omnia vero cogantur obsequio adsuescere, neque eos coeco arbitrio uti patiatur medicus, maniacos potissimum, quos ligatos retinere in lectulo, vel sella loris coriaceis ad id aptata, convenit. Sic bene ad efficaciam medici ipsius praeparati qualescunque demum insani fruantur praesentia ejus quotidie certis

temporibus, ut mane et versus vesperam, perque certum temporis spatium, per quadrantem horae vel dimidium vel etiam diutius. Medicus autem ipse bene praeparatus ad eos accedat. Visat aegrotos medicus loco solitario, sereno, non a clamoribus ac vociferationibus turbato. Semoti sint observatores curiosi atque increduli, qui pro ludibrio et joco medicinam novam habeant. Accedat medicus neque exhaustis viribus corporis animique, neque alienis cogitationibus agitatus, neque turbatus animi commotionibus; sed id solum agat, ut tota mente intentus in aegrotum, quem sibi tractandum selegit, integra atque continua voluntate in eum agere paratus sit, modo oculorum vel placido vel severo obtutu, modo verborum vel blandimentis vel excitamentis, modo manuum obtrectatione varia. Magna etiam vis in silentio est atque in tacita medici praesentia, qua potest per tempus aliquod agere in aegrotum, antequam aliud quid conetur. Postquam per appropinquationem quaedam quasi inter medicum atque aegrotum consociatio instituta est, augenda haec atque firmanda est intuitu in aegrotum continuato, ita ut modo oculos aegroti quasi figat medicus, modo totam ejus formam oculis emetiatur, quasi sub ditionem medicam imperiumque suum eo modo aegrotum redacturus, sitque sibi conscius aegroti vim atque efficaciam medicae voluntati imparem esse atque obtemperare debere. Hoc idem deinde verbis aegroto significet, alia atque alia deinceps exsequi eum jubens: modo adspicere se, modo manum porrigere, modo respondere ad quaesita. Sed caute in his omnibus procedendum est, neque plura aut alia ab aegroto postulanda, quam quae praestiturum eum esse pro

indole morbi atque conditione, proque voluntatis medicae, hoc quidem tempore, vi et efficacia, praevideri possit. Atque omnino aliter dementes, aliter amentes, pro diversa et morbi forma et naturae propriae conditione tractandi sunt; proinde ut illi per voluntatis efficaciam quae in sedando est, hi contra per vim erigendi, quae in voluntate ex altera parte inest, afficiendi sint. Quare ante medicinam adhibendam accurata aegrotorum notitia paranda est. Iam postquam intuitu et verbis sategit medicus, tertio loco manuum obtrectatio adhibenda est, ea vero non tamquam per motum dumtaxat mechanicum, sed ita, ut hic motus vera actio sit voluntatisque vivae expressio; neque etiam cum haesitatione quadam id agendum est ac dubitatione, quippe quae a voluntate sibi fidenti aliena est: sed ita, ut certo propositum medico sit voluntatis vi et efficacia conditionem aegroti morbosam immutare. Atque sic manus variis modis adhibeantur, v. c. ita, ut dextra imponatur vel fronti vel vertici aegroti, sinistra scrobiculo cordis, aut ut ambabus medicus aegroti manus prehensas amplectatur; atque id quidem quiete, firmiter, tamque diu, quam voluntas vegeta erit neque vacillabit animus graviter in aegrotum agenti. Non autem in antecessum mente et cogitatione determinandus aliquis effectus est, quem cupiat medicus, vel imperet, v. c. ut aeger obdormiscat; sed tranquille exspectandum et observandum est, qualia in aegroto signa efficaciae medicae sequutura sint. Accidet haud raro, ut aeger primis sessionibus voluntati medicae non subjiciatur, cujus rei caussa tam in medico potest esse, voluntate nondum satis valido, quam in aegroto nimis vel hebete, vel concitato. Sed con-

fidenter ac strenue pergendum est, usque dum signa effectus medici appareant, spem atque fiduciam opitulantis firmantia atque augentia. Quae simulatque observantur, res in salvo est, nec nisi continuata opera opus est. Sic per septimanas integras, per menses continuos indefesse pergendum. Bonum signum est, ubi medicus appropinquans aegroto, hujus vultum, habitum, gestus, ita immutari videt, ut imperium aliquod sibi in aegrotum esse prodant. Bonum signum, si maniaci, non amplius feroces, lacrymas fundunt, si melancholici mobiliores adeoque inquieti fiunt, si loquaces tacere, taciturni sermones facere incipiunt, si absona et inconcinna loquentes, sensim intellectus quasi radios spargunt. Sed patientia, perseverantia, fiducia opus est, etiam ibi, ubi spes frustrari nos videtur, quippe quae non de omnibus insanis eadem concipi potest; quod quidem oculatum medicum non fugiet. Caeterum

Non est in medico semper, relevetur ut aeger:
Interdum docta plus valet arte malum.

§. 25.

Conclusio.

Simplex, non ingrata, tuta medicina voluntatis in insanis est; voluntatis, inquam, activae, vivae, creatricis, non vulgaris, umbraticae, debilis, sed exercitatione ac labore paratae, sed ex imo vitae penu ac fonte, ex fidei recessibus propullulantis. Organa corporis, sive erigenda, sive compescenda sint, animus aegrotorum sive sedandus, sive excitandus: haec omnia voluntatis medicae genuinae efficacia peraguntur, siquidem recte de his rebus statuimus. Nihil est, si

effectus zoomagneticos respicias, quod hypothesi nostrae repugnet. Age igitur, quum non nisi experimento aut comprobari possit, aut refutari nostra hypothesis, experimento in re gravissima utamur casto, strenuo, saepe repetito. Vis crescit eundo. Atque sic indulgeatis, lectores, fabulosae nimirum medicinae. Etenim nostris temporibus vel fabulosissima posse vera evadere intelleximus.

Tendit ad ardua virtus.



SOME TIGHT
GUTTERS

COVER
TEXT
BOUND INTO
GUTTER